

discipuli euntes in Emmaus. Apud Seston urbem aquila a virgine enutrita in defunctæ rogum sese iniecit, et cum ea conflagavit, Plin. V. c. X. Nos ut quid simile Christo exhibeamus, subinde immergamus nos in piam meditationem passionis Dominicæ, et compassionem ejus, dicendo cum Thoma: *Eamus et nos, et moriamur cum eo*, Joan. XI. Docuit hanc gratitudinem, et piissimum exercitium ipse Dominus Jesus sacro suo Nazareni, h. e. floridi titulo in fronte insignitus S. Edmundum adhuc puerulum, postea Cantuarien. episcopum, uti refertur in ejus vita, apud Surium, 17. novemb. « A quo tempore Edmundus nocte vel die studuit passionem

Christi animo versare, in eaque meditanda medullitus delectari. Cum autem quodam die festo multis occupationibus impeditus, nocte recordaretur, se Dominicæ passionis commemorationem omisisse, caputque fessum quietem reposceret, sub auroram apparuit ei diabolus, et ambas ei detinuit manus, ut nec crucis signum posset in fronte pingere. Sed mente orante Edmundo, dæmon inter parietem et lectum decidit. Quem ille horrido gutture apprehensum adjuravit per virtutem passionis Christi et aspersionem sanguinis ejus, ut diceret quibus rebus vel maxime ab ipso infestando arceri posset. Respondit ille: *lis videlicet, quas tu modo nominasti.* »

## DOMINICA RESURRECTIONIS.

EVANGELIUM. MARCI XVI.

In illo tempore, Maria Magdalenæ, et Maria Jacobi, et Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum. Et valde mane una sabbatorum, veniunt ad monumentum orto jam sole, et dicebant ad invicem: Quis revolvat nobis lapidem ab ostio monumenti? Et respicientes, viderunt revolutum lapidem. Erat quippe magnus valde. Et introeuntes in monumentum, viderunt juvenem sedentem in dextris, coopertum stola candida, et obstupuerunt. Qui dixit illis: Nolite expavescere: Jesum quæritis Nazarenum, crucifixum? Surrexit, non est hic. Ecce locus ubi posuerunt eum. Sed ite, dicite discipulis ejus et Petro, quia præcedet vos in Galilæam: ibi eum videbitis, sicut dixit vobis.

### CONCIONES.

- I. Lætitia hodiernæ festivitatis.
- II. Qua ratione Christus vicerit mundum, dæmonem, peccatum, mortem, infernum.
- III. Christus in resurrectione leo.
- IV. Circumstantiæ resurrectionis.
- V. Quomodo cum Christo resurgendum.
- VI. Alleluia quid sibi velit.
- VII. De paschate Christianorum.
- VIII. Documenta.
- IX. Mysteria.

#### CONCIONES AUCTARII.

- I. Sanctitas et gaudium hujus diei.
- II. Triplex resurrectio nuntiata per verbum alleluia.
- III. Vernalis resurrectio typus.
- IV. Ovum rubrum, typus futuræ gloriæ nostræ.
- V. Christus resurgens similis pantheræ.

### CONCIO I.

#### LETITIA HODIERNE FESTIVITATIS.

- I. Quia demersa peccata nostra. — II. Quia mors devicta. — III. Quia inferorum portæ perfractæ. — IV. Quia confusi hodie Judæi: 1. In cælo. 2. In limbo. 3. In terra. — V. Quia hodie cælum apertum.

#### THEMA.

*Per vicos ejus alleluia cantabitur. Tob. XIII.*

Libro III. Reg. c. I. legimus ingentem lætitiæ excitatam fuisse Jerosolymis, quando Salomon unctus est in regem. Canebat enim populus tibiis, et lætabatur gaudio magno, et insonuit terra a clamore eorum. Audivit autem Adonias, qui prius dignitatem sibi arrogaverat, cum convis suis clamorem hunc, et Joab illi adherens, qui dixit: *Quid sibi vult clamor civitatis tumultuantis?* Et responsum est, Salomonem

constitutum esse regem a patre, et unctum a Sadoc sacerdote et Nathan propheta. Quo audito diffugerunt omnes convivæ Adoniæ, quemadmodum et ipse. Magnus etiam hodie auditur clamor in universo orbe. Movetur imprimis terra, perterrentur sepulcri custodes, confunduntur Judæi, lætantur vicissim apostoli Christi cum universa Ecclesia cantante *Alleluia, alleluia, alleluia*; quemadmodum de hoc videtur vaticinatus esse Tob. cap. XIII. dicens: *Per vicos ejus alleluia cantabitur.* Quid sibi vult hic clamor? Nil aliud quam Christum ex mortuis suscitatum a Patre, regnare et triumphare in cælo et in terra. Clamor hic in omnibus totius Ecclesiæ plateis resonat. Fugite itaque partes adversæ, quæ hactenus regnum vobis arrogastis, diabole cum asseclis tuis, peccato, morte, inferno, mundo, romphæa paradisi flammea et versatili. Jure meritoque exultamus hodie, et cantamus alleluia.

I. Quia demersus est Pharaon ille tartareus cum curribus et equitibus suis, peccatis, in mari rubro sanguinis Christi: nos autem siccis pedibus transivimus per mare salvi et incolumes, dum baptismi et poenitentiae sacramentis quasi sanguine Christi abluti sumus a peccatis, juxta id Mich. VII. *Projiciet in profundum maris omnia peccata nostra.* Maris amarities contritionem peccatoris, rubedo virtutem sacramenti e sanguine Christi promanantem indicat. Mare divisit Moyses virga seu baculo suo: Christus aperuit nobis viam caeli ligno crucis suae. Ibi in vigilia matutina interfecit Dominus exercitum Pharaonis: hic etiam summo mane, quo surrexit Christus, contriti sunt diaboli currus et equitatus, qui sunt peccata, quando primo Christus corporaliter, deinde nos spiritualiter resurreximus ad vitam gratiae. Ibi submerso prius exercitu ultimus perit Pharaon, (si credimus Hebraeis et Abulensi) quo nimirum prius omnium suorum spectaret cladem, antequam eadem ipse periret, itaque diutius et gravius cruciaretur. Hic quoque demerguntur prius peccata in baptismo et poenitentia, ut hoc videns diabolus inde crucietur; ad extremum ipse quoque in mundi fine peribit. Ibi viderunt Hebraei Aegyptios mortuos super littus maris, Exod. XIV. hic videmus extincta peccata nostra. Quoniam igitur hoc paschali tempore mare poenitentiae omnes pertransivimus et in eo Pharaonicum illum exercitum utique demersimus; hinc novum nobis accrescit gaudium. Sane transeuntibus Israelitis per mare et Jordanem: *Montes exultaverunt ut arietes, et colles sicut agni ovium,* teste Psalte, Psal. CXIII. q. d. more poetico: Tantum fuit Hebraeorum gaudium et exultatio, ut ipsi montes id sentire, et una cum ipsis jubilarerent viderentur. Ecce hodie non et nos praegeraudium exultemus, quando cernimus nos beneficio poenitentiae liberatos esse a peccatis nostris?

II. Quia hodie mors devicta et quodammodo occisa est, dum e morte in somnum mutata: quo nomine saepissime appellatur in Scriptura, eo, quod cum Christo simul resurrecturi suo tempore omnes. Unde Os. XII. dictum: *Ero mors tua, o mors.* Quae verba apostolus, I. Cor. XV. ex Septuag. paulo aliter vertit, illudens morti: *Ubi est, mors, victoria tua?* Quasi dicat: Prius imperabas hominibus, nunc ipsi imperant tibi; prius terror, nunc deliciae es mortalium; prius instar leonis obviabas iis cum rugitu, nunc ipsi in ore tuo deprehendunt dulce mel. Ita enim olim Samson in leonis ore, quem paulo ante occiderat, sibi occurrentem saevum et rugientem, in reditu invenit favum mellis, de quo comedit

ipse primum, attulit deinde parentibus, et, ut addit Josephus atque Ambrosius, ep. LXX. sponsae suae reliquum, Jud. XIV. Quid vero leorugiens et saevus, nisi mors, terribilium omnium terribilissimum? Hanc ergo dum animose apprehendit Christus, laniavit et extinxit, ita, ut neminem devorare aeternum posset. Regressus deinde in mundum Christus sua resurrectione, invenit in hoc leone, dulcissimum quasi mel, gloriam resurrectionis, seu dotes gloriosi corporis: claritatem, qua solis splendorem excederet; subtilitatem, qua omnia penetraret; agilitatem, qua in momento ferri quaquaversum; impassibilitatem, qua nec mori nec pati quidquam poterat. De hoc mellis favo prius ipse comedit, (nam per januas clausas ingressus est: in momento venit ad discipulos, et rursus in momento alibi fuit: nihil amplius pati potuit) reliquum dedit Ecclesiae, familiae suae. Et forsitan propterea in comprobationem resurrectionis suae comedit favum mellis, deditque reliquias discipulis suis, Luc. XXIV. Hoc est illud mel, de quo Tertull. ait: *Spes Christianorum est resurrectio mortuorum.*

III. Quia inferorum portae hodie perfractae, et ex parte conclusae sunt; siquidem patres veteris legis, in limbo positi, hodie erepti, et in lucem e tenebris producti sunt, atque ita oclusus limbus, ut in eam noctem nemo amplius descenderet. Purgatorium quoque a resurgente Domino evacuatum, animasque omnes inde liberatas esse existimat Gerson, alphab. LXXXV. I. F. et alii, quo inclinare videtur Augustinus, serm. CXXXVII. cum ait: *De electis suis nullum apud inferos reliquit.* Et S. Anselm. in elucidario scribens: *Omnes absolvit, et in gloriam duxit Rex gloriae,* juxta id Isaiae XL. *Dices his qui vincti sunt: Exite; et his, qui in tenebris sunt: Revelamini.* Sic enim solent reges, cum alicubi inaugurantur, reos omnes e carceribus dimittere. Et forsitan in figuram hujus Num. XXXV. omnes homicidae involuntarii ex civitatibus refugii revocabantur ad suos municipatus, donati libertate. Credibile igitur est Christum primas indulgentias contulisse in eo articulo omnibus animabus purgantibus: nequaquam vero damnatis, quod sensit Marcion. apud Iren. I. I. XXIX. Colligitur id Osee XIII. in persona Christi dicente: *Ero morsus tuus, inferne.* In quem locum S. August. serm. CXXXVII. de tempore, et ex eo S. Greg. hom. XXII. in evang. inquit: « Ex eo, quod mordemus, partem abstrahimus, partemque relinquimus. Quia ergo ex inferno partem abstulit, partemque reliquit, non occidit funditus, sed momordit infernum. » Perruptio haec inferorum praesignata

olim fuit in magni illius draconis quem pro Deo colebant Babylonii, diruptione, Dan. XIV. Massam enim piceam iniecit in os illius Daniel, et diruptus est draco. Ita etiam corpore Christi sorpto tartarus est diffissus, quia nimirum corpus Christi, utpote nulli unquam peccato obnoxium, deglutire minime potuit, ut exponit S. Chrysostom. homil. XXXVIII. in I. ad Corinth. Clarius adhuc in portis urbis Gazae, quas ibidem inclusus Samson abstulit a postibus, et portavit ad verticem montis, Jud. XVI. Qua de re audiamus S. Greg. hom. XXI. in evang. « Cum Gazam, inquit, civitatem Philistinorum fuisset ingressus, Philisthaei ingressum ejus protinus cognoscentes, civitatem repente obsidionibus circumdederunt, custodes deputaverunt, et Samson fortissimum se jam comprehendisse gavisi sunt. Sed quid Samson fecit, agnovimus. Media nocte portas civitatis abstulit, et montis verticem ascendit. Quem, fratres charissimi hoc in facto, quem, nisi redemptorem nostrum Samson ille significat? Quid Gaza civitas, nisi infernum, designat? Quid per Philisthaeos, nisi Judaeorum perfidia demonstratur? Qui cum mortuum Dominum viderent, ejusque corpus in sepulcro jam positum, custodes illico deputaverunt, et eum, qui auctor vitae claruerat, inferni claustris retentum, quasi Samsonem in Gaza, se deprehendisse laetati sunt. Samson vero media nocte non solum exiit, sed etiam portas tulit; quia videlicet redemptor noster, ante lucem resurgens, non solum liber de inferno exiit, sed et ipsa etiam inferni claustra destruxit, portas tulit, et montis verticem subiit, quia resurgendo claustra inferni abstulit, et ascendendo caelorum regna penetravit »

IV. Quia confusi hodie perfidi Judaei, qui de occiso Domino sibi gratulabantur. Audierunt enim vel a custodibus sepulcri redivivum esse eum, quoniam exterminatum reputabant, suo ingenti metu et pudore, Christi vero gloria. Deposuerat Josephus fratres in cisternam veterem, indegite, quasi jam sepultus esset, quem odorant, frater laetati sederunt ad comedendum, Gen. XXXVII. At vero, ubi postea principem in Aegypto factum viderunt et audierunt, non poterant ei respondere, nimio terrore perterriti, Gen. XLV. A formidabili enim potentia fratris attoniti et eliquages, non nisi certam mortem sceleri suo debentem expectabant. Idem credo evenisse hodie Judaeis, qui sublato Christo comederunt suam pascha; sed hodie cum audierunt surrexisse Dominum corpore gloriosum, quis explicare queat terrorem et stuporem, quo occupati palli suae non dubie metuebant, ne poenas sui

sceleris Christo et Deo darent? Sed quantum inde percussi et confusi sunt Judaei, tantum inde gavisa et recreata est Ecclesia, designata in patre Josephi Jacob, qui audiens vivere Josephum, et dominari in Aegypto, cum vidisset plaustra (frumenti) et universa, quae miserat ei Joseph, revixit spiritus ejus, et ait: *Sufficit mihi si adhuc Joseph filius meus vivit: vadam, et videbo illum antequam moriar,* Gen. XLV. Simili enim modo, cum audit Ecclesia, et audit hodieque vivere sponsum suum, gloria et honore circumdatum summaque potestate praeditum, quem ante triduum mori vidit: quando etiam cernit plaustra gaudiorum, quae ex ejus conspectu attulere discipuli et mulieres; quando intuetur spolia ejus, inferis detracta, quae ab eodem accepit, resurrectionem carnis, remissionem peccatorum, pacem conscientiae, virtutem miraculorum, orbis conversionem, etc. quomodo non potest gaudio perfundi et quodammodo reviviscere, tametsi prius mortua et desperabunda fuisset? Quomodo non dicet: Sufficit mihi, si revixit Dominus et sponsus meus. Vadam, et videbo illum; omnem vitae meae rationem ita instituiam ut videre ipsum in caelo et gloria sua possim.

Exultarunt impii Judaei et insultarunt Christo, quando dissolverunt templum corporis ejus, fleverunt contra apostoli cum reliquis fidelibus. At hodie dum cernimus templum illud reparatum longe angustiore forma, quam fuerat prius; quomodo non publicam edimus laetitiam, dum contabescunt, interim Judaei? Existimo sane hodierno die gaudium solemne excitatum esse per universum mundum, et primo quidem in caelo a ss. angelis, qui propterea in albis vestibus ad sepulcrum Domini visi sunt. « Candor enim (inquit S. Gregorius, hom. XXI. in evang.) splendorem nostrae denuntiat solemnitatis. Nostrae dicamus, an suae (angelorum scilicet)? Sed ut fateamur verius, et suae dicamus et nostrae. Illa quippe redemptoris nostri resurrectio et nostra festivitas fuit, quia nos ad immortalitatem reduxit: et angelorum festivitas extitit, quia nos revocando ad caelestia, eorum numerum implevit. Secundo, apud inferos in limbo, cujus tenebrae luce adventantis Christi depulse et e nocte in diem versae sunt. Ipse limbus in paradysum mutatus est, quia ibidem patres non modo humanitatem Christi, sed divinitatem quoque intueri coeperunt. Unde Origenes, hom. XV. in Gen. verbum Christi ad latronem dictum: *Hodie mecum eris in paradiso,* ad omnes etiam limbi patres extendit. Ad eorum igitur laetitiam indicandam terrae motus editus est, velut som-